



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dvbivm I. quid Anonyma, Sinonyma, Paronyma.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

Philosophantis, quæ ex duobus maximè capitibus evenire solet, videlicet ex nimia rerum multitudine, & earum inter se permixtione.

VI. Probatur, quia hic liber ratione decem Classium rerum prædicamentaliū, quas continet, res multas, & permixtas, ita distinguit, ut difficile non sit Substantias ab accidentibus, & accidentia inter se distinguere, ergo, &c.

VII. Dixi, *ius magis obuius*, quia finis secundarius & remotior, est directio ræ. mentis operationis; nam ad dividendum & definiendum (quod spectat ex officio ad 1^{am}. mentis operationem) multum iuvat, res esse inter se distinctas, prout in hoc libro distinguuntur, ergo, &c.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quis finis extrinsecus hujus Libri.

RESOLUTIO.

VIII. Dico: finis extrinsecus hujus libri, attendita mente Authoris, est demonstratio & Syllogismus.

IX. Probatur, quia, ut Aristoteles Topic. 1^o. satis indicat, quidquid hic tractavit, in ordine ad artem Syllogisandi, tractavit, ergo, &c. His autem præmissis, sit

DISPUTATIO PRIMA

Ante-prædicamentalis.

DVBIVM I.

Quid Anonyma, Sinonyma, Paronyma.

RESOLUTIO I.

X. Dico 1^o. Anonyma, id est, æquivoca sunt quorum nomen solum est commune, ratio verò essentia nomini accommodata, diversa, id est, sunt res diversæ naturæ, eodem nomine significatæ. Ut gallus avis, & gallus Francus respectu nominis *gallus*; res autem huiusmodi uno nomine significatæ, dicuntur æquivoca æquivocantia; nomen verò, quò significantur, æquivocum æquivocans. Hinc

XI. Colliges, tres requiri conditiones, ut aliqua sint æquivoca. 1^a. idem nomen quoad omnes affectiones grammaticales, puta litteras, Genus, quantitatem, &c. 2^a. essentia diversa. 3^a. ut diversitas essentia, sit respectu ejusdem nominis; nam quæ sub uno nomine sunt æquivoca, sub alio sunt univoca, ut patet in gallo Franco, & gallo avi, qui sub nomine animalis, sunt univoca.

RESOLUTIO II.

XII. Dico 2^o. Sinonyma, id est, univoca sunt quorum nomen commune est, ratio verò essentia, nomini accommodata, eadem, id est, sunt res ejusdem naturæ eodem nomine significatæ, ut homo & brutum respectu nominis *animal*. Hujus definitionis explicatio deducitur ex præcedenti.

XIII. Adde, esse duplicis Generis univoca; aliqua latè, & ad illa sufficit eadem ratio sub eodem nomine, si hæc ratio sit illis essentialis, si vè accidentalis: undè cygnus & nix conveniunt latè univocè in albo; alia strictè (quæ sola hic videtur Aristoteles definire) & in eis debet ratio esse essentialis univocatis sub eodem nomine, uti est ratio hominis respectu Petri & Pauli.

RESOLUTIO III.

XIV. Dico 3^o. Paronyma, id est, denominativa, sunt quæ ab aliquo (supple, abstracto) nominis appellationem habent (id est denominantur) solo differentia casu, id est, terminatione finali.

XV. Dixi 1^o. *supple, abstracto accidentali*, quia, ex mente Aristotelis & Philosophorum, nullum concretum essentialiter est denominativum, sicut non prædicatur denominativè, id est, accidentaliter, juxta communem.

XVI. Dixi 2^o. *solo Differentia casu*, id est, finali terminatione, quod ex his exemplis patet, nam albus ab albedine, iustus à justitia dicitur, quorum initiales litteræ sunt eadem, finales diversæ.

XVII. Petes discrimen inter formam denominantem, denominatum, denominativum, & denominationem.

XVIII. Respondeo, forma denominans est abstractum accidentale, ut *justitia*. Denominatum est subiectum illius abstracti ut v. g. in *justo homo*, *Deus*, &c. Denominativum est concretum ex denominato & forma denominare ut *justus*. Denominatio est affirmatio denominativi de denominato, ut *homo est justus*.

DVBIVM II.

Quenam sint divisiones, de quibus hic Aristoteles cap. 1^o agit, Referuntur.

DIVISIO I.

XIX. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia sine complexione dicuntur. Id est, terminorum, alii sunt complexi, alii incomplexi: Complexi sunt illi, quibus respondent plures conceptus; si vè sint complexi ex realiter distinctis, ut *homo doctus*; si vè ex re & modo, ut *anima unita*; si vè ex re & signo, ut *aliquis homo*. Incomplexi sunt, quibus responderet unus & simplex conceptus: quare ut scias, an terminus sit simplex, attendere debes ad significatum vocis, vel eorum, quibus explicatur; ita ut ille terminus sit simplex, cujus significatum non est multiplex, ut *homo*, *corpus animatum*, *quantitas continua*, &c. Complexus, cujus significatum est multiplex, ut *animal rationale*, *nemo*, *nunquam*, &c. Unitas enim vel pluralitas ipsius soni & vocis materialiter sumptæ, parum ad complexionem si vè incomplexionem termini facit, licet multum distinguantur, esse unum voce & unum significatione;